Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

bant nimis. Et factus est ibi clamor et luctus magnus, et inventus est ibi Paulus venerabilis nomine, quem supra diximus, et cepit monere fratres ut non fleant neque lugeant super eum. Ille autem Paulus, quem supra diximus, abiit in obviam venerabili episcopo Phylippo, qui veniebat in obsequium. Veniens autem episcopus cepit canonicatum obsequium facere super corpus beati Nicolay et sepelivit eum. Finivit autem vitam servus dei Nicolaus episcopus, sic voluntas dei fuit, mense decembrio die VI. eiusdem mensis sub tempore Iouiniani christianissimi et orthodoxi imperatoris. Eo tempore erat patriarcha Mecharius. Sic finivit vitam iste gloriosus et angelorum imitator pater Nicolaus. Hos autem veneramur ut intercedat ipse pro nobis ad patrem et filium et spiritum sanctum, cui est honor et gloria in secula seculorum. AMEN.

Hic liquor ex sacro fecit manare sepulchro. Quo patet os mutis, egris medicina salutis.

[D]ICITUR. Postquam beatissimus Nicolaus ex hoc mundo migravit ad dominum, tumulus ille in quo venerabile corpus eius positum est, olei liquore et aqua manare non desinit usque in hodiernum diem. Ad quem locum veniunt undique multitudines languentium, claudorum, cecorum, aridorum, surdorum, atque invalidorum, et qui vexabantur a spiritibus inmundis, qui cum eodem sancto liquore puncti fuerint, statim pristine sanitati redduntur. Michi confiteor me semel et bis ex eadem aqua poculum sumpsisse, dum ipse tumulum sancti domini pro meis piaculis interpellarem Nicolai. Distat autem domus sancte Syon, ubi requiescit idem confessor, a menibus civitatis Mirree quasi tribus miliariis ad orientalem plagam, secus viam que ducit ad portum maris, quod dicitur Adriaticum. Quodam itaque tempore episcopo Myrree civitatis cum in exilium a prefecto destinatus fuisset, statim aque elementum et sancti liquoris oleum effluere cessavit. Et tamdiu hoc usus est miraculo, quamdiu non est revocatus ab exilio. Qui cum reversus fuisset et sedi proprie esset restitutus, statim ut antea oleum manare cepit ex tumulo, et aqua salutis presentium infirmorum, presidium futurorum. Unde summo opere considerandum est fratres karissimi, quanti meriti vir iste fuerit, cui omnipotens deus tanta beneficia contulit, ut illius nomen laudabile per omnes

Hic oleum manare cessavit quamdiu episcopus ab exilio est revocatus.

Postulat a clero partem pro munere Cedron. Ossibus ex sacris ductus zelo pietatis.

nationes orbis terrarum, quamdiu orbita mundi volvatur, semper accipiat incrementum, adiuvante itaque domino nostro Ihesu Christo, qui vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Sed si vestre karitati durius non est, volo adhuc de mirabilibus beati Nicolay vobis enarrare miraculum. Beatus quippe et electus domini nostri Nicolaus archiepiscopus, dum de hac luce migraret ad dominum, animam eius qui eam dedit illi puram recepit. Clerici namque et sacerdotes sui dum hoc consentiunt, gratias egerunt deo, qui ita sui confessoris animam cum gloria elevaret ad celos. Tunc accepta aqua ut corpus beati lavarent Nicolay, apprehenderunt linteamina sancti corporis et expoliare ceperunt. Erat autem ibidem quidam homo nomine Cedron. Is cepit rogare eosdem sacerdotes et clericos ut ostenderent in eum misericordiam, et ut aliquid de sancti viri darent vestimentis, et dicebat eis cum lacrimis et desiderio magno: Ego veni benedictionem a domino meo Nicolao accipere, et concessum michi non fuit ut vel vitam eius conspicerem. Obsecro vos ut vel saltem aliquid michi sancti Nicolay corporis vel de vestimento prebeatis, ut habeam tantum vel odorem sanctissimi domini mei. Presbiteri vero et clerici beatissimi Nicolay hec intendentes et talem peticionem desideriumque cognoscentes, dederunt ei unum de linteaminibus sanctissimi viri. Cedron autem ut accepit vestimentum beati Nicolay, cum magno desiderio tulit novum locellum, quo nemo usus est hominum, et cum gaudio reclusit, et ibat letus dicendo: Gratias tibi ago domine, quia de confessore tuo sanctissimo reliquias porto. Obsecro domine ut per beati reliquias Nicolay de lumbis meis des filium michi. Reversus denique Cedron in civitatem suam que dicitur Excoranda, ad uxorem que dicitur Eufrosina, cepit dicere: Ecce reliquie beati Nicolay archiepiscopi, quem tu desiderasti videre. Deprecemur illum ut per suas sacras reliquias aperiat deus vulvam tuam et de tuis visceribus det nobis filium. Tunc Efrosina gaudio repleta dicebat: Domine tibi gloria, qui nobis peccatoribus tantam gratiam concessisti, ut beati Nicolay haberemus reliquias. Et rogare cepit virum suum Cedron ut ecclesiam in honore beati Nicolay construerent, ut per suas orationes adimpleret deus desiderium suum. Cuius precibus Cedron benigne favens ecclesiam fabricare